



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput LVI. De Organædo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

“ mihi concede, ut illo ad majorem tuam glo-  
 “ riam defungar.

5. “ Vellem, ut vox mea satis valida ac satis  
 “ foret penetrabilis, ut usque ad ipsos cœlos,  
 “ atque usque ad extremos terræ limites audiri  
 “ possem, dum gloriæ tuæ Hymnos præcinere  
 “ incipiam.

6. “ Saltem rogo te, ut ope ac benedictio-  
 “ ne tuâ sanctâ id efficias, illos, qui me audie-  
 “ rint, ad te collaudandum ac venerandum ex-  
 “ citare ut queam.

7. “ Offero tibi hoc meum desiderium,  
 “ quod in mea impotentia atque indigentia  
 “ refugio mihi est. Accipe, Domine, in unione  
 “ illius permagni amoris, quo Sanctus, de quo  
 “ officium facimus, te laudavit, oravit ac glo-  
 “ rificavit.

8. “ Angele sancte, cujus curæ amore ple-  
 “ nissima Patris mei cœlestis providentia me  
 “ commisit, hac horâ peculiariter mihi opitu-  
 “ late, atque in officii istius executione me diri-  
 “ ge, ut omni in illo errato immunis persistam.

## CAPIT LVI.

*De Organædo.*

**I**stius administer officii in divinis officiis tan-  
 tundem solus, quantum chorus præstat uni-  
 versus.

Finis, quem organum suum pulsando sibi  
 præfigere habet, in eo est, ut reliquis inspiret de-  
 votionem, eorumque corda permoveat, atque  
 in Deum attollat. Illius enim exercitium lau-  
 dum divinarum partem constituit, ac proinde

genuinus est actus Religionis. Quantæ igitur culpæ reus foret, si abjecta de illo collaudando & præsentibus ad devotionem accendendis cogitatione, amore quodam sui ipsius organi sui duntaxat harmonico sono oblectaretur, aut aures tantummodò audientium demulcere, atque hominum existimationem aucupari satageret? Nunquid id sacrum prophanare ministerium foret?

*Spiritus actionis istius* in eo consistit, ut illam qui obit, ipse induere connitatur affectus devotionis, quam in aliis excitare contendit, atque in ista interiore dispositione organo suo festis aut mysteriis, quæ illis repræsentantur, congruâ ratione ac modulatione personabit,

*Directio.*

Domine mi Deus, quoniam divinæ tuæ, placuit Majestati ad istud me vocare officium, quod ad majorem tuam gloriam & fidelium, qui tuis hic laudibus adsunt, spectat ædificationem, illo fungi desidero purâ te honorandi, & corda eorum, qui me audierint, ad interiores, quos tu illis tuâ gratiâ impertiri voluisti, affectus recipiendos præparandi, intentione. Aliis quibusvis respectibus & ambitionibus renuncio, per tuam propriam te gloriam obtestans, ut mentem meam ac manus meas ita dirigas, tibi ut placeam, omnes præsentibus ad pietatem ac devotionem accendam, ac sanctissimam voluntatem tuam perficiam. Virgo sacratissima, quoniam è tuæ sum Ecclesiæ administris, tuis mihi quæso precibus opitulare.

OCCH-

*Occupatio interior.*

1. "Æquum est, Domine, ut Ecclesia mili-  
 "tans, quantum quidem potest, Triumphanti  
 "se accommodet. Tu istu Sanctis in tuis divi-  
 "nitùs ipsis patefactis arcanis ostendisti, esse in  
 "Templo cœlesti admirabiles sonos veluti ci-  
 "tharis atque aliis musicis organis scitissimè  
 "canentium: *Audivi vocem de cœlo. --- Et Apoc. 14. 2*  
 "vocem quam audivi sicut citharædorum ci-  
 "tharizantium in citharis suis.

2. "A tuis, Domine, laudibus canendis nul-  
 "lo unquam nos tempore oporteret desistere:  
 "at organa vocum fatigantur, atq; eo aliquan-  
 "do usq; debilitantur, ut suo ulterius defungi  
 "non queant officio, cum organa pneumatica  
 "pulsu ac sono suo nunquam defatigentur. Ita  
 "ars opem fert naturæ succumbenti, ut laudes  
 "tuæ, quamdiu quis voluerit, producantur.

3. "Si qua laude liceret frui in hoc mundo,  
 "illam expeterem, hujus artis peritissimus ut  
 "evaderem. Illâ saltem imprimis oblectabor,  
 "ubi in domo Dei ac sanctissimæ Matris illius  
 "locum hunc obtinebo.

4. "Constituerunt de fratribus suis Can- *1. Paralip.*  
 "tores in organis Musicorum, ut resonaret in *15. 16.*  
 "excelsis sonitus lætitiæ.

## CAPUT LVII.

*De Crucifero in supplicationibus.*

SACRA exercitui assimilatur Ecclesia, *Terribi-* *Cant. 6. 9.*  
*lis ut castrorum acies ordinata.* Eam ob cau-  
 sam *militans* appellatur: quia omnes ipsius filii  
 sibi belli jure parere connituntur *Regnum Cœ-*  
 lorum,